

cultu panis, et hi quidem praecipui nerui sunt regni pontificij. Hoc tamen dogma *περι ἀρτολατρείας* circa Caroli magni aetatem et paulo post publicum factum est, cum prius ab episcopis Romanis, etsi acerrime resistentibus plærisque Graecis, cultus statuarum approbatus et cumulatus est. Nec extat vllus vetustior autor Damasceno, qui de alligatione illa veri corporis loquatur.¹⁴⁸ 5
 Nam ea, quae ex Theophylacto recitantur, certissimum est sicut alia multa esse notha et fraude veterum libris infarta, quod quidem de hoc ipso Damasceno, qui in tempora Caroli magni incidit, affirmant. Ecclesiae Graecae, quod illo tempore secessionem a Romano pontifice facerent et imperia etiam distincta essent, etsi quibusdam errorum contagiis aspersae sunt, tamen puriores manserunt, sicut nec hodie priuatas missas extra monasteria ne circumstationem panis faciunt, et prorsus ipsorum sacra propiora sunt veteri simplicitati et rectitudini. Gentes Gallicae et Germanicae pronae in superstitiones auide hanc caeremoniam, quae maiestatem regni ecclesiastici mirabiliter auget, complexae sunt, et autoritate imperatorum condita sunt collegia et 15
 templa illisque attributi reditus prodigalitate mirifica nec admissae sunt vllae admonitiones contrariae. Nam cum imperante Ludouico pio¹⁴⁹ quidam vir doctus, Iohannes Scotus, contra idololatricum cultum panis in schola dissere-ret a suis auditoribus discerptus esse [45:] scribitur.¹⁵⁰
 Ab eo tempore plurimi coeperunt laborare in explicatione de modo praesentiae veri et substantialis corporis cum pane. Vetustiores ponunt *μεταβολήν ἀπλήν* aut *μεταποίησιν*, hoc est conuersionem simplicem panis in corpus Christi. Eum modum aliquot seculis post aliqui ex scholasticis defatigati perplexitate quaestionum recentium denuo probarunt. Nam et Guilhelmus Occam, vir acerrimi ingenij, qui fuit discipulus Ioannis Scoti monachi dissidens 25
 hac in parte a suo praeceptore, vetera haec renouauit.¹⁵¹ Et cum explicandus est modus, aiunt miraculose fieri penetrationem dimensionum aut dicunt corpus glorificatum et non glorificatum posse esse in eodem loco etiam ordine naturae. Petrus Lombardus¹⁵² examinans sententiam antiquorum putat sine ratione geminam poni substantiam. Propterea quod verba sonent de mutatione 30
 panis in corpus, statuit igitur substantiam panis vel in nihilum vel in materiam primam redigi, manere tamen accidentia sine subiecto per miraculum eaque tegere corpus Christi, quod habeat suam propriam et veram formam.

¹⁴⁸ Vgl. Johannes Damascenus, *Expositio fidei* IV, 13 (86), in: PG 94, 1144f (PTS 12, 194).

¹⁴⁹ Gemeint ist Ludwig I., der dritte Sohn Karls des Großen. Zu seiner Person vgl. Egon Boshof, *Ludwig der Fromme*, Darmstadt 1996.

¹⁵⁰ Zur Person und theologischem Werk des Johannes Scottus Eriugena vgl. Gangolf Schrimpf, Art. Johannes Scottus Eriugena, in: TRE 17 (1988), 156–172.

¹⁵¹ Zur Person und theologischem Werk des Johannes Duns Scotus vgl. Werner Dettloff, Art. Duns Scotus/Scotismus I, in: TRE 9 (1982), 218–231. Zur Person und theologischen Rezeption des Duns Scotus durch Wilhelm von Ockham vgl. Gordon Leff/Volker Leppin, Art. Ockham/Ockhamismus, in: TRE 25 (1995), 6–18.

¹⁵² Zur Sakraments- und Eucharistielehre des Petrus Lombardus vgl. Schmidt, *Dogma und Lehre*, 604.